



SVB PATROCINIO D. IOANNIS ECKII THEO-
logi maximi, Magister Vilibaldus Franckemannus Euchistattinus,
has, ex primo Euangelij Ioan. capite, collectas theses, in publica theo-
logorum harena, defendet. z 8. Iunij. Anno M. D. XXII.

- 1 Verbum sic est in principio patre, quod etiam pater est in Verbo
- Cor. Vnde ineffabilis est, omnem creatum modum ineffendi superans, diuinarum persona-
rum inexistencia.
- 2 Verbum cum sit in patre, & sit apud patrem, non est pater a quo distinguitur, contra
Sabellium.
- 3 At verbum cum sit deus, & a principio apud deum, eiusdem est cum patre substantiæ
contra peitilentissimum Arrium.
- Cor. Igitur iure Homusian in diuinis astruunt fideles, etsi vocula illa in sacris literis nullibi
reperiatur, in hac materia, sicut nec persona.
- 4 Verbum istud cū a patre genitum sit, filius dei & est, & dicitur, vt sic sit deus generans
& deus genitus.
- 5 Spiritussanctus tamen cum non gignatur, non debet dici filius, sicut nec est filius, licet
deus sit vnus & idem cum patre & filio contra Macedonium.
- 6 Quamuis autem ineffabiles sint, huiusmodi in diuinis emanationes, quæ solæ distin-
ctionem personarum pariunt, tamen quod per verbum omnia facta sunt, in creaturaz
emanatione, & hoc quidem stupendum.
- Cor. Cōsectarium est, cum sine verbo nihil factum sit, non debere poni duo prima principia
bonorum & malorum, contra Manichæos, Marcionitas, & Valentinianos.
- 7 Non tamen exinde deum authorem peccati affirmabimus, licet non sit malum in ciui-
tate, quod non fecerit dominus.
- 8 Sicut autem omnia habent esse a deo, ita etiam omnia habent vitam in deo, cum deus
sit purissimus actus, semper viuens, semper intelligens.
- 9 Ideo cum non irrationabiliter agat, omnium rerum productarum, rationes in mente
habet æternas, quas recte Augustinus, mutuato ex academiã vocabulo. Idæas appel-
lauit.

הכלל הוא מן עולם

